QVÆSTIO MEDICA QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VII. MENSIS DECEMB. MAGISTRO DIONYSIO LE SOVBZ, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An Dysenterico alui profluuio Venæ sectio?

TRISTEM, & acerbam sibi nouercam jure Naturam quereretur homo, ac sentiret; tot morbis obnoxius, totque injurijs, & periculis expositus; nisi corpori caduco diuinæ particulam auræ alligauisset, ingenij & industriæ compotem effinxisset, cuius inuentum potissimum Medicina est, quæ rerum cognitione, & intelligentiâ, ea in homine restituit, quæ destituit Natura, soloque suo instinctu assequi non valuit: Cui morbi peruicacia impeditæ, & imbecillitate laboranti adjutrix Medicina fert opem: legitima remediorum vsurpatione diuturnos morbos breuiores facit, exitiales lenit, facitque salutares; quos solius Naturæ vis nunquam euicerit. Fugax animantis cuiusque viuacitas, triplicisque nostræ substantiæ perennis fluxus, & dissipatio, triplici alimento, aëre, cibo, & potu instauranda. Spirituosa respiratione: Carnosa, & solida nutritione, quæ χύλωσι, αἱμάτωσι & ὁμοίωσι perficitur; ventriculi, intestinorum, hepatis, vesiculæ fellis, lienis, renum, & vesicæ ope: hæ enim partes instrumenta sunt œconomiæ naturalis, quæ coquendo, attrahendo, & secernendo absoluitur: It aut siquid τῶν ἐνεόντων, ἢ τῶν ἔξωθεν illarum temperiem & functionem labefactet, suo genio frustratur corpus, varijsque conflictatur alui profluuijs, quorum frequentissimum accidit Diarrhœa. Copiosa, frequens, diuturna, & liquida alui dejectio, qua humores praui, sinceri, mixti, & omnium pessimi variegati, vel extoto corpore, vel ex aliqua parte, sine vehementi dolore vacuantur.

ALVVS enim est totius corporis sentina putridis & vitiosis plerumque scatens humoribus, in quam videlicet singularum partium excrementa confluunt: In eam cerebrum tenuem pituitam deponit, quæ ventriculum refrigerat, humidiorem reddit, & coctionem interturbat; vnde humorum crudorum colluuies, spumantia excrementa, diarrhœa nocturna, diuturna, Ophthalmicis salutaris. Turgescens cystis fellis, feruensque Iecur bilem, Ichoresque putres profundunt, qui excretricem stimulant, retentricem exoluunt; hinc Diarrhœa biliosa, intestinorum colliquatio, dejectiones fœtidæ, virulentæ: oppressus & tumidus lien κατάῤῥοπος pituitam & succum melancholicum in aluum excutit, vnde Diarrhœa melancholica & dysenteria lienosis salutaris; Illos humores totius corporis, ipsiusque præsertim ventriculi κακοχυμία καὶ κακοπραγία suppeditat: In se congestos mesenterium refundit: quorum fluxus frequens, parcus, creber, stridulus, sincerus, diuturnus, symptomaticus; semper noxius. Continenter autem lacessens humor per anfractus & intestinorum volumina, Ipsa, & in transitu, sedem exulcerat; tumque ἐπὶ διαῤῥοίη δυσεντερεῖν; frequens, cruentum, necnon alijs humoribus permixtum alui profluuium, cum morsu & intestinorum torminibus.

NAM etsi Dysenteria sit omnis cruenta egestio per intestina; siue ex jecoris ἀτονία seu ἀῤῥωστία, vnde ἐξερυθρὴ ὑπέκλυσις sine morsu & intestini tormine: siue αἱματώδης ex ejusdem εὐτονία sanguinis copiâ, ob exercitationem omissam, vacuationem interceptam, membri-ue πήρωσιν, ejusque situm ἀνάῤῥοπον collecta, vnde λάβρως καὶ ἰσχυρῶς sanguis prorumpit ad intestina: siue ex visceris oppressione, læsione coaceruata; vnde nigra, obscura Melancholicis salutaris, excretio. Proprie dicta, ab intestinorum vlcere Dysenteria nascitur, quando cum torminibus διὰ ξύσιν καὶ τεινεσμὸν infestantur; cùm crassa, à quibus statim à commoto dolore sanie & pure supernatantes excretiones: tum tenuia, vnde graciliora ramenta cum excrementis mixta, nec statim à dolore acutiore, rejecta; hinc febris ardentior, periculum majus; cujus index est altior, vel leuior intestino labes insidens. Primùm enim mucus, mox pinguedo, deinde pelliculæ & ramenta fibrarum, ipsæque intestinorum fibræ exeduntur; tum dysenteriæ lienteria succedit, vel etiam curatæ inuoluntarius remanet Alui fluxus: postremò altius sæuiente malo & firmiter fixo carunculæ, ipsaque intestini substantia putris ac velut soluta collabitur, excernitur.

NVSQVAM non periculosum morbum arguunt dolorum morsus acerrimi, sanguinis jactura, vlceris sedes, vigiliæ, sitis, vrinæ paucitas, artuum jactatio ingens, hypochondriorum incendium, ventris tensio, rugitus, tormina, tenesmus, febris, ἀποσιτία, totius corporis colliquatio: periculi metum adauget, etatis tenellæ, & senio aut morbo ingrauescentis ad tantos labores ferendos impotentia; cum hæc ad deperditarum partium iacturam resarciendam viribus sit exhausta: illa præ-neruosarum partium laxitate & carnosarum mollitie ante datam reparationis occasionem celerrime dissoluatur: deteriorem reddunt, humoris maxime sinceri prauitas, bilis cuncta populantis ardor: pituitæ putris sua salsugine tenaciter partibus adhærescentis easdemque exedentis infestior mallicia: desperatum conuincit bilis in atram adustione degenerantis feritas, à qua vt corpori cancer omni arte superior, ita animo malignitas intractabilis inducitur. Vbique metus, vbique angustiæ; hinc à ruentis catharri intercepto cursu, malorum perniciosorum impendet mox casura nubes, Phrenitides, Peripneumoniæ, abscessus in lateribus, in visceribus, atque etiam in articulis: Inde prolabens humor jamjam θηρίωμα, ἢ νομὴν minitatur.

QVIS igitur in tanto tamque calamitoso morbo Medicæ manus opem non implorabit? frustra quidem, si naturæ & Artis victrix dominetur Atra bilis; aliàs semper opportuna, vt quæ tantas inter angustias, singulari, propeque diuina virtute viam inueniat. Egregiam vero laudem feret, si ingruentis vlceris mala omina auerterit, quod numquam citius efficiet, quam cum decurrentis humoris omnigena vacuatione fontes exhauserit, Catholico-ne, an Rheo? nimia alui lubricitas fugienda: πανταχρηστὸν remedium rheum; lac non minus, quo lenitur vlcus, tergetur, consolidatur: non parum prosunt Enemata lenientia, detergentia: frictio reuellens: Diuretica diuertentia. Sed in primis proritans dolor demulcendus, humoris acrimoniam obtundendo, tenuitatem stringendo, caprino adipe partes inungendo, acriusque vrgentem stupefacientibus fallendo. Quibus si nihil profeceris, in hoc laborandum est, vt vlcus purum seruetur, & ab eius fluentis saniei contage intactas partes vicinas defendas, balneis, frigidæ aquæ, & Niuernensium, seu Spadensium potu: exsiccantibus, fortiter astringentibus, muria indita, Cathæreticis. Sed quolibet tempore phlebotomiâ hæc omnia præstabis, hepar æstu accensum excandescit? Intestinum inflammatum finem deijciendi non facit? hepar venæ sectione contemperatur, sanguis sistitur, reuellitur, bilis acrimonia retunditur, fluxus perennitas extinguitur: atque ita tandem rebus ad salutem euntibus, puris astringentibus veris epuloticis obducta cicatrice, vires ægri referes in melius, *partesque in solido rursus natura locabit.*

Ergo dysenterico alui profluuio Venæ sectio.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS BOVIOVNIER, Abbauillæus. Anno R. S. H. MDCXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Geruais.
M. Franciscus Guenault.
M. Iohannes Francier.

M. Iohannes Merlet.
M. Gabriel Harduynus de S. Iacques.
M. Michael de la Vigne.

M. Franciscus du Port.
M. Iohannes Beauchennes.
M. Nicolaus Helin Antiquior Magister.